



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. I. Scientia est-ne absolutè Confessori necessaria?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

CAPUT X.

De Scientia Confessorum.

Quæst. I. SCIENTIA est-ne absolutè Confessori necessaria?

Resp. Omnino est necessaria ad ejus propriam & pœnitentis salutem. Quod quidem facile colligitur ex duabus qualitatibus, quas Concilia Confessariis attribuerent solent, cum eos & medicos, & judices vocent. Qualitas enim judicis, ut ait S. Augustinus relatus in Can. in Confessario scientiam desiderat, inquit enim: *Caveat spiritualis Judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ, ita ne careat munere scientiæ. Oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc expostulat, ut quod debet judicare, discernat.*

S. Aug. Cant. Quis vult. dist. 6. De Pœnit.

Paret etiam, quod Officium spiritualis Medici, quod exercet Confessarius, scientiæ dona requirit, ut enim ait celebre Concilium Lateranense generale: *sacerdos more periti Medici, super infundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debet ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum agrorum.*

Can. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & remissionibus.

Christus Dominus id paucis expressit cum dixit: *Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt, id est, in æternam damnationem.* Hinc S. Augustinus ait: *Terret non solum cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem: neque enim ait, cadit in foveam.*

Matth. cap. 18.

S. Aug. Tom. 9. lib. de Pœnit. cap. 10.

158 TRACTATUS VI.

ducens, & non cadit sequens: sed cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt, hoc est, tam Confessarius ignarus, quàm pœnitens qui ab eo dirigitur.

Catechif.

Conc. Trid.

p. 2. De Pœ.

mic. Sacram.

n. 722.

Et Catechismus Concilii Tridentini ait: *Ac quod ad Judicis Officium attinet, satis constat non vulgarem scientiam necessariam esse, quâ & peccata investigare & ex variis peccatorum generibus, quæ gravia & quæ levia sint pro cujusque hominis ordine & genere judicare possit. Ut autem Medicus est, summâ quoque prudentiâ indiget; etenim diligenter providendum est, ut ea remedia ægroto adhibeantur, quæ ad illius animam sanandam & impofterum contra morbi vim muniendam aptiora esse videantur.*

Quæst. 2. Interest-ne ad pœnitentiû salutem ut doctos eligant Confessores?

Resp. Idem Catechismus Concilii Tridentini loco mox citato asserit. *Ex quo poterunt Fideles intelligere, maximo studio curandum esse, ut eum sibi Sacerdotem deligant, quem vita integritas, doctrina, prudens judicium commendat, quique quantum in eo Officio cui præest ponderis ac momenti sit, & quæ cuique sceleri pœna conveniat, & qui vel solvendi, vel ligandi sint optimè noverit.*

Sancta Theresia veritatem hanc perfectè cognovit, cum ait, cap. 5. in libro de via perfectionis: *Magni prorsus interesse, ut Confessarius verè doctus sit; esse omninò periculosum ab ignaro regi, licèt multum sit spiritualis aut esse possit.*

Et in cap. 5. vitæ suæ quam ipsa scripsit ait:
 20 *Experentiâ mihi compertum est, melius esse,*
 21 *ut Confessarii penitus ignari sint, modò sint*
 22 *probi, quam semidocti: quia qui ignari sunt,*
 23 *sibi non confidunt, nihilque concludunt incon-*